

de Ho. 1557.  
(121)

S. P. Illustrissime Princeps: Clementissime, Domine.

Ex Ulrico Gigero intellexi: cupere Clementiam Vestram: inde, ubi Sleidanus desit, nostrorum temporum historiam continuari: et eidem Doctore Ulrico in mandatis datum ut mecum ageret: Etiam ex Doctore, Joanne Marbachio et Doctore Ludovico Gremio, de eadem re audivi, et mihi optatissimum esset et J. C. V. postulato satisfacere posse, et memoria nostrorum temporum consulere. Sed historiam conficere, cum per difficile et arduum est: tum etiam invidiosum atque periculosum. Haec duo causa, tanetsi me dehortari et deterrere debeant: tamen conabor aliquid et experiar si queam: modo duo mihi ab Illustrissima Vestra Clementia dari possint. Unam ut adjuver ex archivis J. C. V. et mihi adsit, ut ex aliorum etiam archivis adjuver. Alterum ut si assequar, quod volam et singulorum annorum res gestas et consilia annotem, non cogar prius quicquid hujusmodi est, edere, quam vita mea id futurum sit, et nostris temporibus necessarium. Placeat tamen mihi, ut quantum scripsero atque emendavero, id et J. C. V. archivis atque etiam nostri magistratus committere. Scripsi haec de re in Dania: et ad Illustrissimum Ducem Meckelburgensem: propter Poloniae et Livonia, Daniae et Saxoniae aliquando motus, aliquando alias controversias, nec prius statueram J. C. V. scribere, quam ex illis locis mihi responsum esset. Sed quoniam Doctor Ulricus urget, idemque J. C. V. postulat, malui operam meam promittere, quam negare id quod a me requiritur. In Sleidani historia video, quid multi requirant omnis ordinis et omnium partium homines, de illis non est opus mihi scribere, in hac epistola. Sed quicquid tale est, id vitari commodius possit in historia: si contrariorum partium cognoscerentur consilia, atque opiniones et voluntates. Est enim historici finis veritas, eaque accommodata ad vitam et utilitates mortalium: Sed multa incerta praesertim in hominum voluntatibus certa narranda et affirmanda sunt. In rebus vero incertis hominum ponenda sententia, et partium iudicia, saepe etiam fama affirmat, quod historici

